

AMERICA TEMPORIBUS ROMANIS AN NOTUERIT

Si fortasse lector quis benevolus hanc quaestionem eo sensu accipit, quasi nos scire velimus, an Romani antiqui Americam tam bene nossent, quam populi recentes post Christophori Columbi tempora, vehementer errat: talem rerum notitiam apud veteres exstitisse graviter negari debere certe est, quod moneam. Verumtamen haec quaestio longe modestius proponi potest et intelligi debet: scilicet Romani veteres an coniecere aut fama accipere vel saltem providere et praesentire potuerunt, esse ultra Oceanum Atlanticum terram vastam et incognitam, oblatane fuerit ulli mortalium occasio, ut eam attingeret atque de ea nuntium afferet?

Talis quaestio non primum in hac disputatione profertur. Immo tractata res est et disputata saepius, quamquam obiter tantum et quasi extremis digitis tacta tenuiculo librorum apparatu, timide ac diffidenter. Hanc diffidentiam cum alias plurimas in perscrutandis Graecorum Romanorumque scriptorum monumentis difficultates obici dolemus, imprimis molestam esse puto. Immo philologi ipsi, qui studia antiquitatis colunt (e quibus unum nomino, Ludovicum Friedlaenderum, virum in his rebus summae eruditionis et auctoritatis), non sibi persuadere poterant Romanos veteres, quamvis omni vita atque victu exultos et expolitos, litterarum ac humanitatis compotes, scientiarum geographicarum minime expertes, usque eo progressos fuisse, ut talem summi momenti inventionem facere potuissent. Itaque suo ingenio potius, quam veterum scriptorum auctoritate confisi suam incredibilitatem in antiquae traditionis locum substituerunt, at manifesto non minus peccare videntur, qui parum, quam qui nimium credunt.

Verum enimvero si locos quosdam ab antiquis geographis et historicis relatos sine opinione praesumpta perlegerimus, res mirae et inexpectatae enucleari poterunt. Uni vel alteri narrationi fidem et auctoritatem abrogare ob id unum, quod ea mira et inaudita videntur, vel quod eius fons et origo non demonstrari potest, hoc certe iniustum est et absurdum: quae res idonee comprobari potest vel sescentis exemplis, ubi variis mirabilibus, quae primo ut manifesto commentitia repudiebantur, tandem vero, scientia et rerum cognitione progrediente, sine ulla dubitatione tributa est fides. Eo modo accidit, ut viri docti recentium temporum, artem criticam subtiliorem exercentes, nonnullos historicos et geographos veteres, tamquam ob ignorantiam aut negligentiam male audientes (inter quos Herodotum et Pythæam Massiliensem), in debitam dignitatem restituerint.

Temporibus hellenicis et Romanis, et vitae instituta et consuetudines, et peregrinationes longae et perpetuae, et commercium, quo diversae et extremae gentes miscebantur, doctrina et scientia in diem magis magisque auctae, haec omnia dabant occasionem viris eruditis, ut amplas cognitiones geographicas perciperent, navigatoribus vero et mercatoribus et eius generis hominibus, ut novas terras detegerent et apperirent. Viae solide structae usque ad ultimos terminos Romani imperii stratae et a latronibus tutae; maria a piratis liberata, pax et prosperitas saeculi, effecerunt, ut longinquissimae peregrinationes facile et celeriter effeci possent. Quam rem ita sese habere non uno discimus testimonio. Mercator quidam Phrygius < temporibus Romanis > sepulcro suo inscribi iussit, se bis et septuagies Italiam visitasse: hoc indicio evidenter comprobatur, quam facile illis temporibus itinera conficere homines potuerint. Non minus utiles ad rem nostram illustrandam est Germana quaedam, cuius nomen et negotium incisa legimus in inscriptione quadam Graeca: Βαλαβουργ Σηνονι συμβλλα quod est: Valpurgi Semnon<i> vati. Germanae mulieres et apud suos cives et apud Romanos in maximo erant honore, quasi divina sapientia praeditae et fatidicae et quibus „sanctum aliquid et providum“ inesset: ideoque homines superstitionis consilia earum petebant et responsa sequebantur. Quod autem ad rem nostram optime quadrat, inscriptio illa reperta est Elephantinae, quae ab Alexandria ad meridiem circiter decies centies millesimum lapidem sita est, a Semnonum terra vero, quae erat patria Valpurgis, plus quam ter decies centena milia milliaria abest: tam longum iter potuit facere inops haud dubie et sui iuris ancilla, victum quaerens, usque ad ultimos Aegypti terminos. Inde manifestum est, Romanis temporibus peregrinationes et faciles et assiduas fuisse. Et re vera peregrinabatur assidue et longe lateque in immensas et interminatas regiones, et intra et extra Romani imperii fines: milites, mercatores, eruditi, quorum vita omnis in rerum cognitione versatur, otiosi et curis liberi homines, qui terras incognitas et loca memorata ac nobilia visendi cupiditate quaerebant, immo imperatores ipsi. Nuper demum accuratius demonstratum est assiduum commercium, quamquam non sine multis obstaculis, inter regionem Belgradensem et insulas maris Aegaei < extitisse >, cum tale commercium inter Pontum orientisque populos et Europam septemtrionalem iam pridem viris eruditis pernotuerit. „Terminus omnis motus et urbes muros terra posuere nova... Indus gelidum potat Araxem, Albim Persae Rhenumque bibunt“ (Seneca).

Praeter has plus minusve privatas et privato consilio factas peregrinationes, adornabantur etiam aliae cura publica et sumptibus publicis, eo consilio, ut viri eruditi, talium peregrinationum participes et socii, terras novas earumque situm ac naturam perscrutarentur et cognitiones geographicas auferent. Sane erant audaces et metus nescii investigatores qui longinqua et discriminis plena itinera susceperint; sed, quod vero dolendum est, ea quae de terris incognitis retulerant, non semper viris eruditis illorum temporum credibilia visa sunt, quippe qui, eorum quidem opinione, speciosa potius quam vera lectoribus

suis proponere maluissent. Pytheam Massiliensem, qui quarto ante Christum natum saeculo regiones ultra Thulen exploravit et de noctibus, quae sex menses perpetuo durant, < retulit >, Strabo ille geographus non spernendus mala fide usum esse contendit, „hominem mendacissimum“ appellavit, „qui nihil nisi fallacias didicisset“. Et tamen Pythae indicium, quam verum sit, certe non est, quod moneam. Interpretes recentium temporum pronioribus animis veteres geographos tractant neque iis fidem temere denegant, immo ab eorum indiciis, cum res poscit, exordium studiorum suorum sumunt. Quam fida et accurata haec testimonia, etsi primo oculorum obtutu parum credibilia, esse potuerint, unum tantum affero exemplum. Hanno ille Carthaginensis, qui quinto ante Christum natum saeculo oram Africae occidentalem praetervectus erat, et qui usque ad regionem, quae hodie Kamerun appellatur, pervenerat, in hunc modum, quae ipse ibi viderat, descripsit: „Est ibi mons altissimus, quem indigenae Dei currum appellant, et ex quo flumina saxorum liquefactorum effluunt. In sinu quodam est insula, plena hominum ferorum, admodum pilosorum, quos indigenae τὸς γορίλλας appellant“. Quae brevia Hannonis indicia ab exploratoribus recentium temporum plane sunt probata, scilicet cum re vera mons a Hannone memoratus hodie usque lingua indigenorum Dei currus appellatur, et qui re vera flammam olim eructabat. Nimirum etiam ea pro veris habenda sunt, quae Hanno de gorillis docuit, quos tamen is simpliciter et sincere inter „feros homines“ numerat. Huiusce modi plura afferri possint, sed iam ex his, quae diximus, manifestum est, in quas audacter remotissimas terras ausi sunt penetrare homines audaces et temerarii, praecessores Marci Polo, Christophori Columbi et Maghelani, et quam diligenter retulerint de iis, quae vidissent et explorassent. Tot tantisque viris devotis et indefessis, qui sive ad cognitiones augendas sive ad mercaturas exeroendas proficiscebantur, et de humano genere optime merentibus, gratias agere debebant Romani veteres, quod orbis Romanus et regiones ultra hunc orbem quoquo-versus pernotuerunt. Fines harum regionum ab ultima Thule (Shetlandinseln? Islandia?) usque ad Indiam, Taprobanen, Serum regiones, Africam mediam extendebantur. Immo apud Marcianum, quinti post Christum natum saeculi geographum, mentio fit incognitae cuiusdam terrae in mari meridionali, ultra Serum regiones. Cuius terrae nomen graecum Romani in „terram australem incognitam“ verterunt, et hoc ipsum nomen inditum est postea quinto continenti, Australiae, cum erat aperta.

Sed non solum in iis quae ad usum cotidianum pertinent cognoscendis, verum etiam in pura et integra scientia geographica et astronomica promovenda excellebant veteres quam maxime atque multa aenigmata sollerter persolverunt. Eleatici philosophi, sexto iam ante Christum natum saeculo, terram globosam esse docuerunt et, ad hanc opinionem fulciendam, ea ipsa argumenta afferebant, quibus et magistri ad hodiernum diem iuventuti persuadent; globulus aureus in manu Caesaris Augusti significat imperium orbis universi vel mundi, qui globi formam exhibet, et iam ante Aristotelem docebant philosophi

mundum circum axem versari. Aristarchus Samius, geographus ille tertii ante Christum natum saeculi, confirmavit argumentis et rationibus, non minus quam < duodeviginti > ante Copernicum saecula, illud quod heliocentrale systema appellatur. Eius aequalis Eratosthenes, prosperis temporibus prosperisque rerum condicionibus, ratione geographica et astronomica usus, necnon instrumentis, quae ipse composuerat, supputavit mensuram circuitus globi terrestris, vix credi potest quam diligenter et accurate: ducenta quinquaginta duo milia stadiorum, quantum vir sollertissimus statuerat, vix duobus vel tribus milibus inferiora sunt numero, quem agrimensores idonei recentissimorum temporum pro certo ducunt. Idem ipse Eratosthenes sagaciter excogitavit fieri posse, ut globus terrestris navi ad occidentem vergente circumnavigetur, atque hoc modo in Indiam perveniri posse affirmabat. Etiam Eratosthenes ipse Oceanum latissimum et iter trans Oceanum longinquissimum suspicatus est. At contra Claudius Ptolemaeus, secundi < post Christum natum > saeculi geographus, opinatus est, falso quidem, continentem asiaticam longe latius ad Orientem extendi, quam is re vera extenditur, ita ut iter ad Indiam trans Oceanum Atlanticum multo brevius sit (et quidem tanto brevius, quod Ptolemaei sententia globi circuitus vix centum quinquaginta stadiorum milia complectat). Ptolemaei opinionem secutus Christophorus Columbus, qui brevissimum ad Indiam iter invenire voluerat, formavit consilium itineris trans Oceanum Atlanticum faciendi. Ptolemaei coniectura de Oceani magnitudine nisi falsa fuisset, Columbus num ausus esset, ut inceptum valde dubium aggrediretur?

Ex iis quae veteres de his rebus retulerant, selegi aliquot locos ex quibus omnis haec quaestio pendet, ut eos paullo accuratius examinarem.

Diodorus Siculus, historiarum primi ante Christum natum saeculi scriptor, memoriae tradidit hoc: ἐπεὶ δὲ περὶ τῶν ἐντὸς Ἑρακλείων στηλῶν κειμένων νήσων διεληλύθαμεν, περὶ τῶν κατὰ τὸν ὠκεανὸν οὐσῶν διέξιμεν. κατὰ γὰρ τὴν Λιβύην κεῖται πελαγία νῆσος ἀξιόλογος μὲν τῷ μεγέθει κειμένη δὲ κατὰ τὸν ὠκεανόν. ἀπέχει δὲ πλοῦν ἀπὸ τῆς Λιβύης ἡμερῶν πλείονων, κεκλιμένη πρὸς τὴν δύσιν. ἔχει δὲ χώραν καρποφόρον, πολλὴν μὲν θραινὴν, οὐκ ὀλίγην δὲ πεδιάδα κάλλι διαφέρουσαν. διαρροεμένη γὰρ ποταμοῖς πλωτοῖς ἐκ τούτων ἀρδεύεται. Hoc loco neque de Canariis nec de Asoribus insulis putare posse apparet, quae nec < magnis campis > nec < navigabilibus amnibus > abundant, neque vero tam longinque a Gadibus distant, sed solum de Americae continenti accipere debemus, idque nullis ad persuadendum aptis < argu > mentis ac rationibus refutari posse arbitror. Neque minus utilis locus quidam ex Senecae Medea esse videtur:

< „Audax nimium, qui freta primus
rate tam fragili perfida rupit,
terrasque sua post terga videns
animam levibus credidit auris,
dubioque secans aequora cursu

potuit tenui fidere ligno
inter vitae mortisque vias
nimium gracili limite ducto.
nondum quisquam sidera norat,
stellisque, quibus pringitur aether,
non erat usus; nondum pluvias
Hyadas poterat vitare ratis,
non Oleniae lumina caprae...

Nunc iam cessit pontus et omnes
patitur leges: non Palladia
compacta manu regum referens
inclita remos quaeritur Argo —
quaelibet altum cumba pererat;
terminus omnis motus et urbes
muros terra posuere nova,
nil qua fuerat sede reliquit
pervius orbis...“>

His addidit Seneca expressis verbis:

„venient annis saecula seris,
quibus Oceanus vincula rerum
laxet et ingens pateat tellus,
Tethysque novos detegat orbis,
nec sit terris ultima Thule.“

Locutus est videlicet Seneca in eum modum, ut generatim eam rem attingere appareat, neque singula accuratius exponere voluisse.

Est res quaedam iam diu litteris mandata, sed longe negata et refutata et nuper demum a viris doctis retractata et probata, ita ut ad quaestionem nostram solvendam usui esse non potuerit: nummorum Carthaginiensium quarti et tertii ante Christum natum < saeculi > summam parvolam puto, quae in Asoribus insulis reperta est. Dubitari igitur nequit, quin Carthaginienses veteres usque ad Asoras pervenerint. Hae autem insulae plus minus mille quingenta milia distant a Gadibus, itaque Carthaginienses dimidiam fere partem ad Americam itineris permensi sunt.

Inquirendum est nunc, Carthaginienses, sive consulto sive tempestatibus de cursu suo depulsi, an etiam ultra Asoras insulas, ad occidentem vergentes, penetraverint. Ad hanc rem illustrandam aliquid certi enucleari posse arbitramur ex loco Pseudo-Aristotelis de mundi mirabilibus, quo certiores facti sumus Phoenices memoriae tradidisse, si a Gadibus trans Oceanum ad occidentem proficiscitur, „post quattuor dies in regionem quandam perveniri plenam algarum marinarum, quae recessus tempore profundo mari emergunt, post autem aestuum accessu demergunt“. Quin his verbis mare, quod hodie appellatur Sargasso, significetur, quod variis algis obiectum esse et speciem natantis prati praebens scimus, et quod est longum ultra Asoras insulas et Americae in propinquo situm, nemo ibit infitias nec vero Aristotelis verba ullam

aliam explicationem admittunt. Unum, quod interpretationi nostrae obstat, est videlicet temporis navigandi ratio: namque velocissimus navium cursus, quem antiqui efficere potuerunt, decem in hora milia nunquam excesserat, cum autem Gades a mare Sargasso circiter mille et quingenta milia distet, nec traiectus quattuor diebus ullo modo effici possit.

Ex omnibus, quos memoravimus, locis maximi momenti visum esse apparet illud, quod Seneca enarravit. Illius narratio nec commentitia est nec poetarum more et licentia ficta. Seneca, philosophus ille primi < post Christum > natum saeculi, Neronis praeceptor, non solum poeta haudquaquam spernendus, verum etiam vir eruditissimus et sollertissimus, et inter geographos sui temporis princeps. De orbe novo, quem Seneca versibus illis significavit, certe habuit Seneca subtiliores cognitiones, sed quae vetustas exedit; fortasse etiam uberiores nuntios, sed qui in vulgus non exierunt et iam dudum oblivione obruti sunt. Inter navigatores veteres, qui etsi instrumentis ad cursum recte tenendum, quale est illud, quod hodie < compassus > appellatur, destituti erant et navigationem litoralem praeferebant, erant certe viri audaces et temerarii, qui in immensos Oceani campos ingredi non dubitarent, cursum suum sideribus regentes; fieri etiam potuit, ut haec aut illa navis, invita quidem, sed vi tempestatum coacta, trans Oceanum depulsa esset. Quod quam re vera saepe acciderit, plurimis et recentioribus temporibus petitis exemplis comprobari potest. Anno D. 1731 navis, quae de Tenerife ad Gomeram, vix quattuordecim milia distantem, cursum direxerat, adversis ventis pressa, usque ad Trinitatis insulam depulsa est; alia quaedam, anno D. 1504, a Britannia minore usque ad Canadae litora. Immo Columbus ipse, < cum > a. D. 1492 ad occidentem navigasset, et ab itineris comitibus, iam defessis, et onni spe destitutis, ut rediret acrius instantibus, non hoc facere potuisset, et si voluisset: tanta erat violentia venti contrarii, qui navem ad occidentem propulerat! Potuit vero Seneca vel fama accipere vel ex libris cognoscere, nuntium cuiuspiam talis necessitate impositi traiectus: Senecae temporibus, ut Seneca ipso edocemur, innumera-biles naves in Oceanum vela dabant atque Europae occidentalis et septemtrionalis ora legebant, ita ut prorsus facile accidere potuerit, ut quaelibet navis tempestate abripiatur et ad Americae oras deferatur. Equidem concedendum est, non paucas fuisse, quarum nulla notitia ad nos pervenisset. Etiam Strabo aut is, quem Strabo auctorem habuit, ultra Oceanum et inter Africam et Indiam terras ignotas extitisse docuit; eadem erat et opinio vulgi, quod incolae terrae huius incognitae antipodum nomine comprehendere solebat, scilicet quia adversa nobis vestigia urgebant.

Haec si recte sunt disputata, quaestionem quam posuimus, an veteribus America notuerit, benigne atque indulgenter potius quam diffidenter et timide tractari oportere apparet. Nec abs re videtur hoc loco in memoriam revocari Americae inventionis antecolumbianae, quae medio aevo contigit. Vir doctissimus Gustavus Neckel, professor Berolinensis, iam triginta annis antea, argumentis idonee demonstravit

Americam a Normanis, sed nequiquam, iam XI saeculo inventam esse. Cur non potuerint idem facere Romani veteres, quorum naves non inferiores erant Normanorum navibus?

Quae omnia si probabiliter sint disputata, spero fore, ut coniec-tando etiam ulterius progredi contingat. Locutus est Seneca de terris novis et usque incognitis plenus persuasionis et inconcussae fidei; at vero, erat is in geographiae studiis nec rudis nec inexpertus: documento sunt variae dissertationes geographicae (de motu terrarum; de situ Indiae; de situ et sacris Aegyptiorum; de forma mundi, cet.). Vix dubitari possit, quin is ipse auctor fuerit et impulsor peregrinationum geographicarum, quas Nero, discipulus et alumnus eius, in remotissimas regiones, quales sunt illae ad Nili fontes et in Germaniam septem-trionalem, adornaverat, eo potissimum proposito, ut explorarent res eo tempore obscurissimas: Nili fontes („fontium qui celat origines“, Hor.), et originem sucini. Num enim casu factum est, ut Seneca ipse de Nilo librum scripserit? Quid igitur? Cogitavitne Seneca etiam de Oceani exploratione et de itinere trans Oceanum? Si ita erat, fieri vero potuit, ut versus illos, quos Medae supra memoravimus, eo consilio Seneca inseruerit, ut Caesarem ad novam peregrinationem adornandam concitarent et exhortarentur. Ad hoc aptissime quadrare videtur id, quod Seneca ipse praeter omnes alios geographos Oceani latitudinem minimam aestimavit, ita ut iter et facile et celeriter fieri posset.

Nero et Seneca an de hac peregrinatione adornanda cogitaverint, id nimirum ignoramus. Sed utcumque res sese habeat, dubitari nequit, quin Americae inventio, si minus in usu, at certe in arte et scientia, iam facta fuerit, et quin vetera de novo continente indicia, quae nobis vera et diserta videntur, et per se ipsa plus valere quam recentiorum vel ingeniosissimae coniecturae, quamquam fortuito oblata sunt, et quamquam veram illorum originem ac naturam et quibus e fontibus derivata sint, propter rerum vetustatem et testimoniorum paupertatem igno-ramus.

18. II. 1946

Veselin Čajkanović

AD ČAJKANOVIĆI DISSERTATIONEM „AMERICA TEMPORIBUS
ROMANIS AN NOTUERIT“ ADDITAMENTUM

Hanc dissertationem apparatu critico carentem Čajkanović edidit serbice in actis diurnis *Pravda* inscriptis (4—7 I 1940), versionem latinam vero morbo letifero iam correptus praeparabat sed ad finem adducere non potuit. Quam hic in luce profero talē qualis ab auctore relicta erat quia ille moriens vetuit in operibus suis edendis quidquid mutare, emendatis tantum quibusdam mendis suppletisque lacunis (locus Diodori *Bibl.* V 19 et Senecae *Medae* versus 301—379) et versis aliquot serbicis verbis quae in chirographo relicta erant. Haec omnia